



**D. Virginis Oetinganæ Historia**

**Irsing, Jakob**

**Monachii, 1643**

Cap. I. De rebus diuinis, ritu perenni Oetingæ peragi consuetis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64940](#)

tauerit , ad cælestes patronos accedunt. Quæ tria hoc libro persequuntur est animus, non minutum omnia pietatis officia proferendo , quæ in immensum abiret narratio ; sed eatautum , quæ vel rerum præstantiâ , vel hominum dignitate commendantur..

## CAPUT I.

*De rebus diuinis , ritu perenni Oetingæ peragi consuetis.*

**P**rima Iaus officiorum , quibus Oetingana Diua colitur , debetur incolis , qui dominę seruitiis ut familiares atque domestici , operam omnem studiumque consecrantur. Nobile in primis Canonorum Collegium , in Diuorum Philippi & Jacobi Basilicâ omnia eius ordinis ministeria obit impigrè. Precationes Ecclesiæ , ad horarum nomina discretas , quotidie cum ritibus cantu.

cantúque persoluit: perpetuo sacri-  
ficiorum cultu Deum matrémque  
virginem mortalibus conciliat:  
quotidie sub vesperam, finitis in A-  
postolorum æde precibus, ad facel-  
lum Marianum transit, cum sacerdo-  
tum adiutorum, cantorúmque cœ-  
tu. Ibi Deiparam salutat, sacrámq;  
dici præteritæ messem ad eius aram  
repræsentat. Aduigilant impensè  
rei diuinæ præfecti, nè quid negli-  
genter ac dissolutè geratur. Adhæc  
in dies seni sacerdotes (quem cul-  
tum Ferdinandus Elector Coloni-  
ensis, Bauariæ Dux, cum Francisco  
Wilhelmo Osnabrugensi Episcopo,  
Oetingano Præposito instituit A. C. M  
DC XXXVII.) in facello veteri preces  
horarias, quas Officium B. V. appel-  
lamus, recitant: vt, quanquam o-  
mnia religionis opera, quibus in A-  
postolorum Basilicâ Deus colitur,  
ad matris quoque venerationem  
pertineant; publicos & ipsa in sa-

F 5            cra-

crario suo habeat laudatores. Di-  
ctus Elector etiam in omnia Sabba-  
tha, festosque Deiparæ dies sacri-  
cium, stipendiis liberalissimis con-  
stituit Anno M DC XIII. Eunden  
ad modum, stipendiis Mariæ Mari-  
milianæ, Ferdinandi Electoris ami-  
tæ, festis cum ritibus & musicâ sa-  
cralificatur omnibus Deiparæ solen-  
nibus, canunturque eiusdem tituli  
sermonis vsu LITANIAE dicti: quo  
& Sabbathis omnibus agitur. Sacri-  
ficiis in singulas hebdomadas con-  
ciendis stipendia constituerunt  
Franciscus Wilhelmus, Episcopus O-  
nabrugensis &c. Comes Francisca  
Paluia: Joannes Christophorus, Ba-  
ro de Ruep: singuli aureis millenis  
Carolus, Princeps Liechtensteinu-  
bis millenis, trecentis, trigintatu-  
bus: de cuius pecunia emolu-  
mento septem pauperibus qua-  
hebdomade certa largitio confe-  
tur. Comes Wilhelmus Sclavas

tria millia binis in hebdomades Mis-  
sis peragendis est elargitus. De hu-  
ius pecuniæ prouentu quoquo an-  
no quadraginta aurei pauperibus di-  
stribuuntur. Fuere & plures alii  
hoc in genere pii, ac benefici: omnes  
proferre studium breuitatis non si-  
nit.

De quotidianorum sacrificiorum  
numero, quibus in facello Mariano  
litatur, satis est dicere, tantum esse,  
quantus ferme in die cōfici lege po-  
test. certè ibi octies millies quingen-  
ties quinquagies quater, anno M DC  
XLII. qui vltimus est huius historiæ,  
tribus in aris, est sacrificatum. Cäte-  
rūm, quod à B. Virgine appellatio-  
nem habet sacrificium, in facello eo-  
dem quotidie cum cantu perficitur.  
Omitto sacra, quæ in Diuorum A-  
postolorum, Diuæque Magdalenaæ  
templis quotidie complura pera-  
guntur. Adiungunt strenuam So-  
cietatis Jesu sacerdotes operam, ani-  
marum

marum iudiciis pro tribunali sacro,  
assiduo studioséq; exercendis. Post  
quàm illi Wilhelmi Bauariæ Duc  
auspiciis domicilium Oetingæ fixe  
runt, mirum in modum & cura pe  
cata confitendi, & labor audiendi  
hoc loci inualuit, paruis initiis inlu  
culentum numerum, incremento  
ferme annuo, prouectis. Juuat an  
num millesimum sexcentesimum  
committere cum sæculi huius qua  
dragesimo primo; illo, septena mil  
lia, sexcenti quadraginta pœnitenti  
sacro lustrati numerabantur: isto  
nonaginta millia, octingenti, auch  
sanè memorabili. Jam tametsi loc  
sanctitas ad nostræ Diuæ cultum in  
colarum animis inferendum suffi  
ciebat: quò tamen animorum con  
iunctione arctiore, stimulisque inci  
tati pluribus piæ seruitutis officia  
implerent; Sodalitium, Mariæ al  
Angelo salutatæ auctoratum, insti  
erunt, ad annum MDXCIX. iis legi  
bus,

bus, quibus in Societatis Jesu Colle-  
giis cœtus Deiparæ diuersis discreti  
titulis vtuntur. Accessit aliud sæ-  
culi sequentis anno decimo, Mariæ  
cælo receptæ sacram. Sodalitium  
Deiparæ, Archifraternitatis præro-  
gatiuâ insigne, instituit A. C. M DC  
XIX. paulò antè memoratus Osna-  
brugensis Episcopus: Marcus Sitti-  
cus Salisburgensis Archiepiscopus  
confirmauit. Anno subinde M D E  
XXXII. loci, & vicinitatis agricolæ  
societatem aliam ab D. Isidoro Hi-  
spano dictam coière, imitationis e-  
xemplum de suâ sibi tribu petentes,  
agricolam nimirum, in diuorum nu-  
mero collocatum. Huius Sodalitii  
excolendi amplam impartitus est fa-  
cultatem Societati Jesu Chiemensis  
Episcopus, auctoritate vniuersi con-  
cilio Salisburgensis, quod Consisto-  
rium vocamus. Porrò sic vulgo pla-  
cuit id instituti, vt viri primæ digni-  
tatis nomina inter agrestes voluerint  
profiteri.

Caput